

www.e-rara.ch

**Grammatica religiosa, quae pie docet declinare a malo, & facere bonum,
amplecti perfectum in praesenti, & respuere imperfectum, ad
obtinendum futurum infinitum, cum participio salutis**

Abraham

Salisburgi, 1691

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25335>

Sermo, de tertia virtute theologica, sc. charitate.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.


Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

plectere Admonitionem Divi P. N. Augustini dicentis: Emenda igitur, Ser. 58.
 frater, vitam tuam, dum tempus datur, implora auxilium divinum, cum de Sanct.
 locus datur fletui, noli pœnitentiam differre, dum hoc in tempore vivis,
 in quo tantum ejus fructus est utilis. Verum licet præterea aliqui in mor-
 tis articulo pœnitentiæ anchoram arripiant, quam tamen hæc pœnitentia
 periculis obſita ſit, audiat quilibet eundem S. Doctorem ſupra hoc ſic ratiocinantem: Si quis in extrema neceſſitate ſuæ ægritudinis poſitus voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur & hinc vadit, Ser. 36.
 fateor vobis, non illi negamus quod petit; ſed non præſumimus quod
 benè hinc exit: ſi ſecurus hinc exit, ego nescio; pœnitentiam dare poſſumus,
 ſecuritatem autem non. Non quidem dico, damnabitur: ſed
 nec dico, liberabitur. Vis ergò à dubio liberari? tene certum, & dimitte
 incertum. Age pœnitentiam dum ſanus es. Si ſic agis, dico tibi, quòd
 ſecurus es, quia pœnitentiam egifti eo tempore, quo peccare potuiſti.
 Si vis agere pœnitentiam eo tempore, quo peccare non poteſ, peccata
 te dimilerunt, non tu illa. Hactenus glorioſus Doct̃or. Unde docemur,
 quantis ſe periculis exponant illi, qui morum emendationem de die in
 diem procrastinant; & licet forſan multi eorum in ultima ægritudine poſiti
 Eccleſiæ Sacramenta percipient, quam tamen hæc pœnitentia periculis
 plena ſit, audivimus. Quapropter chare frater, noli differre vitæ
 correctionem ne quidem in crastinum, ſed dic cum Pſalmiſta: dixi nunc
 cœpi, ab hac hora vitam emendabo, nunc teporem excutiam & DEO
 ferventiùs inſerviam. Quæ ſi propoſueris & in propoſito conſtanter per-
 ſeveraveris, mercedem talem, quam nec tibi imaginari poteris, confe-
 quèris. Vale.



S E R M O,

D E

Tertia Virtute Theologica, ſc. Charitate.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Joan, 14. v. 23.

P A R S P R I M A.

I. **I** Acto ſpiritalis ædificij fundamento, & ſuperſtructo ac erecto firmiſſimo ſpei Theologicæ muro, ac, quæ ad hanc ſpem roborandam conducere poſſunt, ſuprapoſitis, ſupereſt, ut ei culmen ac faſtigi-
 imponamus, ac de charitate diſſeramus quæ ejuſdem ædificij culmen & perfectio eſt, ut teſtatur S. P. N. Auguſtinus dicens: Domus DEI fide
 fundatur, ſpe erigitur, charitate perficitur. Charitas ergò gemma virtu-
 tum

Ser. 22.

De Laude
Charit.

tum est, quæ cæteras format, illustrat & perficit, eisque ornatum singularem ac venustatem ex sui consortio impertit. An non hæc vestis polymita Josephi, omnium virtutum varietate decorata? Hoc enim testatur Hugo, dum hanc virtutem his laudum encomijs adornat: Charitas, inquit, omnem animi languorem sanat. Charitas omnium vitiorum radices extirpat, Charitas omnium virtutum origo est. Charitas mentem illuminat, conscientiam mundat, animam lætificat, DEUM demonstrat. Animam, in qua charitas habitat, superbia non inflat, invidia non devastat, ira non dissipat, mala tristitia non vexat, avaritia non excrecat, gula non inflammat, luxuria non inquinat, semper munda est, semper casta, semper quieta, semper læta, semper pacifica, semper benigna, semper modesta. Hæc Hugo.

2. An non hæc vestimentum Jacob, cujus fragrantia benedictionem Patris cœlestis impetrat? An non demum hæc currus ille igneus, qui subleuat interiorem hominem in paradisum spirituales? Causat enim in anima fideli, nil desiderare, nisi JESUM, nil cogitare, nisi JESUM, nil suspirare, nisi JESUM, JESUS enim est finis & scopus ejus. Hinc non immerito ante omnia ad charitatem amplectendam S. P. N. Augustinus mox in initio suæ Regulæ adhortatur nos dicens: Ante omnia fratres charissimi diligatur DEUS. Sciebat enim perbene, non esse possibile virtutem sine charitate reperiri posse. Siquidem hoc expressè Apostolus 1. Cor. 13. declarat dicens: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum, velut es sonans.* Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum; & si tradidero corpus meum; ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Unde Divus Bernardinus animam nostram comparat carboni, qui nisi ignitus sit, nullam habet pulchritudinem, ita nec illa, nisi habeat charitatem, decora esse nequit. Ait enim Charitas est animæ pulchritudo. Quamobrem teste sancto Gregorio nihil est pretiosius DEO virtute dilectionis, & nihil est desiderabilius diabolo extinctione charitatis.

3. In Anglia olim nobiles certamen ludicrum instituerunt, in quo quisque in clypeo florem, Rosam, Lilium depictum habebat; At Dux Britaniæ fasciculum florum in quo omnes aliorum flores depicti erant, in suo clypeo præ se ferebat cum lemmate hoc: in me omnia. Profecto si virtutes cum clypeis proprijs suis encomijs insignitis in campum adversus vitia bellaturæ convenirent, non dubium, quin charitas præ alijs omnibus excellentiæ famâ præstaret, utpotè in suo ferens clypeo hoc præconium: in me omnia. Siquidem quidquid in alijs virtutibus per partes videre licet, hoc omne in se charitas complectitur, quia hæc quandocumque stare potest absque alijs virtutibus, ipsæ verò sine charitate minimè subsistere possunt. Hinc merito gloriari de hoc lemmate potest; in me omnia.

Hæc

Hæc demum, teste Marsilio Ficino nummus est, quo DEUS emitur & comparatur. Venalis, inquit, est DEUS, at quo nummo? quo te emit, scilicet charitate. Quod ergo inter planetas sol, inter elementa ignis, inter metalla aurum, inter gemmas carbunculus, hoc inter virtutes charitas est.

4. Porrò ut de charitatis laude ad ejus effectum procedamus, inservire nobis poterit pro declaratione fabula de Prometheo, de quo fabulantur Poëtæ, quod è luto corpus humanum formaverat, & dum se movere, & actiones vitales exercere non posset, conscendit cœlum, & clam surripuit ignem, quo suam è luto formatam statuam & animavit & vitam ei communicavit. Etsi verò hoc tantum poëtarum figmentum sit, nobis tamen ex hac fisione moralitatem aliquam eruere licebit, quid enim aliud per corpus illud formatum intelligitur, quam homo? quid aliud per ignem, quam charitas? Videmus enim, quòd homo velut insensilis statua è luto facta nullam operationem vitalem ad cœlestia habeat, cum omnes affectiones ejus semper in terrestribus velut in luto sint fixæ, at quam primum charitas ipsi infunditur, mox vivere incipit, & operationes vitæ aternæ condignas exercet. Nonne enim charitas peragit officium animæ vegetativæ? quia facient hominem attrahere alimentum, scilicet devotè audiendo verbum DEI & illud opere implendo, ex quo vegetatur & nutritur anima. Nonne charitas exercet officium animæ sensitivæ? inflammat enim videre cœlestia per meditationem & fidem; auditum aperit ad audiendum Verbum DEI & inspirationes illius; Odorem excitat, quo fragrantiam bonorum exemplorum & virtutum à Christo & sanctis relictorum olfacimus; gustum augmentat, quo suavitatem Domini & bonæ conscientie delicias percipimus, causat quoque, ut illud, quod quis vel maximè horrebat, hilari arripiat animo. Nonne demum charitas munus animæ rationalis agit? efficit enim, quòd homo rectè cœlestia apprehendat, terrestria spernat, & cum S. Paulo dicas. *Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercorea, ut Christum lucrifaciam.* Et cum S. Ignatio. *Phil. 3. v. 7.* O quam sordet mihi terra cum cœlum aspicio! causat quoque, quòd homo rectè judicet, DEUM esse super omnia amandum, seipsum odio habendum, proximum amandum sicut se ipsum. *Omnia denique esse vanitatem præter amare DEUM & illi soli servire.*

5. Hinc merito DEUS nobis præcipit hanc charitatis flammam ut foveamus & nutriamus. Quare enim in veteri Testamento diversis temporibus postulavit sibi offerri varia sacrificia? Tempore Paschatis petijt oblationem Agni, post partum postulavit Turtures, unum autem præcepit, quod fieri volebat omni hora, & tempore quocunque, ut nimirum ignis arderet in Altari, undè ne hic extingueretur, præcepit cunctis Sacerdotibus, ut continuo ei apponerent ligna. Quare, inquam, hoc DEUS *Levit. 6. v. 7.* fieri postulavit; nisi ad denotandum, ut charitatem, quæ per ignem signi-

ficatur, in altare cordis nostri per exercitationem bonorum operum accendamus & omni tempore custodiamus: Accendemus autem hunc charitatis ignem in animo nostro, & accensum nutriemus, si omnia divina præcepta, Regulam, & constitutiones nostras strictè observare studeamus, si hoc negligimus, & ea, quæ non ad mortalem culpam obligant, parvipendimus, certum est Reginam Virtutum scilicet charitatem in nobis diu manere non posse secundum Divum Gregorium dicentem: Qui modica spernit, paulatim decedit: qui enim peccata minima flere & divitare negligit, à statu iustitiæ non quidem repente sed per partes totius cadit.

6. Hinc Christus ait: qui diligit me, sermonem meum servabit. Sed sermo Christi est nedum graviora sed etiam peccata minima declinare, ergo amanti hæc omnia evitanda sunt. Ex quo hoc capiet emolumentum, ut præter multiplicia cœlestium Theaurorum bona in amantem transfundenda etiam efficiatur Templum SS. Trinitatis. Quod expressè nobis insinuat Christus, dum his verbis, *qui diligit me, sermonem meum servabit*; hæc subjungit: *Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* O igitur stupendum charitatis effectum! ô incomprehensam hujus virtutis excellentiam! Quis hanc laudum encomijs dignè attollere sufficit? quis ejus perfectionem et si Tulianâ præditus eloquentiâ satis de prædicat? quis, inquam, fructum in ea latentem debite comprehendit? Efficit enim ex Diaboli mancipio filium DEI, ex orci pabulo, heredem Christi, ex sordido peccatore, templum DEI.

7. Alterum medium, quo hanc divini amoris flammam in pectoribus nostris excitare possumus, est attenta consideratio, quod scilicet charitas hominem etiam in lachrymarum valle constitutum beet, Beatitudo enim & vera hominis felicitas in possessione summi boni duntaxat consistit, hæc autem possessio, com non possit ordinariâ viâ haberi per realem unionem, necessario per intentionalem, qualis est charitas, obtineri debet. Undè videmus, quod veri DEI amatores in summa mentis tranquillitate sint, constituti, cum cuncta desiderabilia cum statu viæ compatibilia in DEO possideant. Et è contra mundi mancipia, licet quandoque aurum argentumque in magna Copia sibi cumulent, sumptuosa habitacula, pretiosa corporis indumenta auro gemmisque elaborata, & quam plurima artificiorum hortorum, virentiumque pratorum spacia possideant, nunquam tamen eorum appetitus satiatur aut quietatur, quin potius hæc omnia ipsis varia cruciatuum genera, quam gaudiorum oblectamenta generant. Et hujus rei ratio est, quia homo satiari aut beari nequit sine adeptione ultimi finis, ad quem creatus est, qui finis solus est DEUS. Hinc S. P. N. Augustinus DEUM alloquens ait: Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Inquietum, inquam, erit cor nostrum, donec terrena ex cordibus nostris stirpitus eliminemus, inquietum

quietum erit, donec mundi delitijs abrenuntiemus, inquietum erit, donec omnem ad creaturas affectum exuamus, & totis ad DEUM amoris passibus eurramus.

8. O quam stolidè ergò agunt illi, qui relicto summo bono fluxas falsasque mundi divitias affectant! O quam dementer faciunt, qui pro veris æternisque gaudijs aculeatas & instar fumæ transituras sæculi voluptates, quæ hominem satiare nequeunt, confectantur. Unde rectè ad transitoria contemnenda & æterna quærenda nos stimulat S. Anselmus dicens: Cur per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui, ama bonum, in quo sunt omnia, & satis est, desideria simplex bonum, & sufficit. Quamobrem chare Frater, ne quondam te DEUS de aliqua arguat dementia, longè à te nunc proscribere cuncta & singula, quibus mundani homines se oblectare solent, & satage DEUM super omnia amare; ut verò hoc præstare valeas, nunc hunc divini amoris ignem à DEO pete desiderando, præcando, divinamque opem implorando, & cum S. Francisco per diem crebrò repetendo: DEUS meus & omnia. Item cum S. Anselmo postulando & dicendo: Auffer Domine à me, si velis substantiam, manus, pedes, solum relinque cor, quo te diligam, hoc enim solo tibi placebo. Ut autem magis in hac Theologica virtute te fundes, perpende dicenda.

In Prologo c. 27.

L. de merit. c. 9.

PARS ALTERA.

9. Constat ex hæcenus dictis charitatem inter reliquas virtutes eminerere, ideoque cum hæc cælorum januam nobis pandant, inferre debemus hoc multò magis efficere charitatem. Quod probari potest ex illo trito axiomate philosophico; propter quod unum quodque tale, & illud magis tale, itaque cum reliquæ virtutes, in quantum præsupponunt charitatem, sui possessorem ad vitam ordinant æternam, à fortiori id præstare debet charitas, quæ est fons & complementum omnium virtutum unde si quis nil aliud sciret, quàm amare JESUM, tunc talis esset perditus non quidem in Schola Philosophorum aut Theologorum, sed in Schola Christi, quod insinuare videtur ~~Martinus~~ dicens: Vere magnus est, qui magnam charitatem habet. Hinc S. Bonaventura vir insigniter doctus interrogatus est à Beato Ægidio dicente; Multis te Reverende Pater gratiæ suæ donis auxit Omnipotens DEUS, nos verò simplices & idiotæ quidnam faciemus, ut salvi esse possimus? Ad quæ vir Sanctus respondit; Etiam si nullam aliam homini gratiam conferret DEUS, nisi ut ipsum diligeret, sufficeret ei ad obtinendam salutem. Et Ægidius, potest ne, inquit, homo indoctus æque ac doctus diligere DEUM? S. Bonaventura respondit posse etiam simplicem aniculam non minus diligere DEUM, quàm sacræ Theologiæ bene doctum Doctorem. Hæc audiens B. Ægidius & ferventi spiritu exsiliens hortum ingressus est, civitatemque respiciens altâ voce clamavit. O vos pauperculæ simplices

Gerson

Historia.

& indoctræ anus diligite DEUM, poteritis effici majores, quàm] sit frater Bonaventura. Unde merito canebat devotus Asceta,

*Si Christum discis, nihil est si cætera nescis,
Si Christum nescis, nihil est si cætera discis.*

1. Cor.

v. 9.

2. 5. v. 41.

2. 3. Reg.

6. 3.

10. Quantum verò DEI amatores præmiabuntur, quis, amabò, explicare potest? Quis intellectus comprehendere, aut quis calamus annotare sufficit? Quoniam tantam mercedem sperandam habent, quantum teste Apostolo, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS diligentibus se. Rursus in libro Judicum legimus, quòd illi, qui DEUM diligunt, sicut sol in ortu splendet, ita rutilent. Quamobrem cacodæmon omnis boni osor per bene noscit maxima gratiarum & meritorum fluentia ex charitate scaturizare, ideò nobis tanta dona semper invidet, & cor nostrum à DEO abstrahere nunquam laborare cessat. Quomodo verò huic capitali inimico resistere debeamus, docemur historià ex sacris paginis desumptà. Cum enim vice quadam duæ Matres ad sapientissimum Salomonem venissent, quarum utraque infantem tanquam suum filium cupiebat, & quia ex rationibus ab his duabus fæminis adductis, intelligere Rex haud potuit, ut exploraret, quæ nam earum vera esset Mater, ait; dividatur infans & quælibet illius capiat medietatem, & abite hinc. Huic sententiæ mox consensus falsa mater, aitque: nec mihi nec tibi, sed dividatur. Quæ audiens vera Mater dixit, ergo ne patiar infantem meum occidi? ah non patiar, cedam potius juri meo ut filius meus vivus permaneat. Unde Salomon agnovit hanc esse veram hujus infantis Matrem, quamobrem ait: date illi infantem vivum & indivisum. Unde altera convicta & confusa abivit.

11. Quid igitur aliud infanti huic comparabo nisi humanum cor? & quid aliud duabishisce matribus nisi DEUM & Diabolum? DEUS enim velut vera Mater cor nostrum creando genuit, ideòque illud petit dicens: Filii mi præbe mihi cor tuum. Et verò ad idem possidendum anhelat & dæmon. Cui id debemus dare? Volumus agere Salomonis personam, & iudicem? Denegetur id ei, qui contentus est solà illius medietate, qui que non curat possidere illud totum, & donemus ei, qui vult totum aut nihil. Quid dicit, quid prætendit Diabolus? Ego sum contentus, ait hic, unica cordis tui particula, sum, inquam, contentus, ut audias Sacrum, recitet breviarium, ut subinde te disciplines, jejunes, aut media nocte surgas. Sed semper esse in his exercitiis vires tuæ non patiuntur, consultu igitur facies, si amplectaris interdum animi voluptatem, aut mundi delitiis intersis, quid detrimenti capies, si subinde in sæcularium conviviis compareat? Hoc enim exigit discretio. Et quid refert, si quandoque committas aliquod peccatum, mentiaris nonnunquam joci & recreationis gratia? Non id magni faciendum est, parum pro nihilo reputatur.

Ut verbo dicam, diabolus contentus est medietate cordis nostri, idemque cum falsa illa Matre clamare videtur. Nec mihi nec tibi, sed dividatur. At quid jam dicit DEUS? Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo. Aut vult totum aut nihil. Nos igitur instar sapientissimi Salomonis judicemus, sententiamque proferamus & consequentiam. DEUS postulat totum cor, diabolus contentus est illius medietate, totum igitur & indivisum offeramus DEO, illud per sapientem postulanti. Fili præbe mihi cor tuum. 21. v. 26.

12. Verum enim verò ut nunc dicta magis confirmentur inservire nobis poterit gratiosa fabula, quam refert celebris quidam Poëta de Ericio. Animal hoc undique spinosum est, & festolum, & nonnunquam se taliter constringit, ut minima videatur esse pila. Quadam vice contigit miserum hoc animalculum privari domicilio, eo quod venatores arbitrati intus latere prædam totum illud destruxerint. Unde miser Ericius suorbatus domicilio totus miser vagabatur per campos & sylvas, obviam interea reperit vulpem, quam enixè cæpit rogare, ut se dignaretur suo hospitio excipere; Sed cum vulpes Ericium non vellet exaudire, ille magis institit vulpem ferventius obsecrans, ut saltem concederet sibi minimum & abjectum suæ cavernæ angulum: Spondebat enim non velle se minimum in illo movere, aut quamlibet ipsi adferre molestiam. His vulpes persuasa clementer indulxit, quod postulabat Ericius, qui quam primum occupaverat angustissimum locum in caverna vulpis, cæpit se dilatari & extendere taliter, ut vulpes, ne læderetur & pungeretur ab illius pelle spinosa, fuerit coacta capere fugam, sic totam Ericio cavernam relinquere debuit. Sic pari ratione solet agere diabolus, quod Ericius, qui primum nos rogat, ut ei concedamus unicum duntaxat cordis nostri angulum, supplicans ut hoc aut illud officium ambitiose affectemus, ab aliis laudari gaudeamus, ut cognatos & notos sæpius visitemus, ab eis oblata munera accipiamus, aut vicissim similia illis offeramus, hoc enim suggerit stygius veterator, charitas exposcit, nullumque inde detrimentum patiemur. Item hæc infernalis vipera suadet, ut semel solummodo cogitemus de hac aut illa muliere, aut hanc vel illam personam curiosè aspiciamus. Et quid damni, inquit, poterit unquam causare unicus intuitus, unica cogitatio? Non tanti hæc facienda est. At quamprimum diabolus subintravit cordis nostri domicilium, taliter postea se dilatari & extendit, ut ex eodem extrudat DEUM & Sanctos, omnemque virtutem, gratiam & sanctitatem expellat. Hinc admonet nos Apostolus dicens: *Nolite locum dare diabolo.* Cujus rationem insinuat S. Chrysostr. Ephes. 4. in hunc locum. Hoc pacto, ait, si introierit, cuncta dilatari & sibi amplificari. V. 27.

13. Quamobrem cum teste ipsomet Christo non possimus duobus Dominis servire DEO & Mammonæ, id est creaturis; idcirco evellamus

mus radicatus è penetralibus cordis nostri omnem creaturarum amorem, ut in eo creator habitare possit. Quæ si non fecerimus profecto pertimescendum habemus, ne & nobis eveniat, quod accidit duobus filiis Aaronis, qui ideo igne consumpti sunt, quia in thuribulum ignem alienum imposuerunt. Quid enim est aliud ignis hic alienus in thuribulo, quam inordinatus amor creaturarum in corde? Caveamus ergo hunc imponere ne æterno incendio concrememur. Præterea etiam enim benè advertendum est, quòd cacodæmon, quem illecebris inescare non potuit, hunc prosternere adversis semper studeat. Quapropter ne charitatem à Diabolo victi perdamus, munire nos debemus ad omnes quascunque adversitates superandas. Unde nosse debemus, quod, ut refert Thomas Kemp. Verus amator Christi non quærat consolationes aut sensibiles dulcedines; sed magis fortes exercitationes, & pro DEO duros sustinere labores. Hinc hoc divini amoris igne succensa S. Theresia dicere solebat: Domine JESU, aut mori aut pati. Quin imò S. Maria Magdalena de Pazzis adhuc plus desiderabat, dum identidem repeteret, non mori sed pati. Sciebant enim hæ sanctæ Virgines, quòd tribulatio patienter tolerata mirum in modum charitatis ignem atqueat. Quod sane expertus est S. Martyr Ignatius, qui perpeffis pluribus malis, vinculis, carceribus adèò in divino amore profecit, ut dicere non dubitaret: Ignis, crux, bestia, confractio ossium, membrorumq; divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruatur.

14. Sequamur itaque hujus gloriosi Martyris Christi Exemplum, neque formidemus adversitates, quin potius gaudeamus cum Apostolis nos dignos inveniri pro nomine JESU pati. Nam quemadmodum medici sanitatem corporis tangendo manum sinistram probant, sic & DEUS in sinistris seu afflictionibus suos amatores probare consuevit. Ergo de primo ad ultimum, si verè frater chare, JESUM diligere cupis, expelle omnem ex corde tuo creaturarum amorem; Serva ejus mandata. Et discè perferre fortiter omnes quascunque tum corporis tum animi afflictiones. Ne verò in his paulatim deficias, visita frequenter Christum dulcissimum animæ tuæ sponsum in Venerabili Sacramento absconditum, ei que necessitates tuas pande. Et ne fucata creaturarum pulchritudo te pervertat, contemplare speciositatem vultus illius, qui tantà præditus erat pulchritudine, ut quàm plurimi judæorum toti afflicti & desolati dicere solebant: Sinite, eamus ad filium MARIE, ut ex ejus aspectu solamen referamus. Si inquam dulcissimi Salvatoris tui facies adhuc exulantis in terra ita formositate radiabat, ut sufficeret ad mæstos etiam animos exhilarandos, quid, quæso, fiet nunc, si mentis obtutu ipsum contemplatus fuerit jam regnantem in cælis? Haud dubiè decore vultus ejus capieris sic, ut præ nimia dulcedine tuas tribulationes haud sentias. Itaque ex exilio facies paradysum, & cæleste gaudium indubitanter sperandum habebis. Vale.